



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiārvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod secundum alterum modum semel sit missus, secundum alterum
sæpè: & secundum alterum modum dicitur missus in mundum, secundum
alterum non, L. M

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

fili⁹ mitti præter illam æternam geniturā, quæ ineffabilis est: secundum quā etiam missus posset dici, vt videtur quibusdam, sed melius ac verius secundum eam dicitur genitus. Præter eā ergo, duo b⁹ modis dicitur mitti: scil. vel cū visibiliter mundo apparuit carne indutus, vel cum se in animas pias sic trāsfert, vt ab eis percipiatur ac cognoscatur. Hos duos missionis modos aperte Aug. distinguit in 4. lib. de Trin. dicens. Non eo ipso quod de patre natus est, missus dicitur filius: sed eo q; ap. la. infernus. paruit huic mūdo, verbū caro factum. Vnde dicit: A patre exiui, & veni in mundū: vel eo quod ex tempore cuiusquā mēte percipitur: sicut dictū est de sapientia. Emitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, vt tecum sit & tecum labore, id est, doceat te laborare. Et tunq; vnicui q; mittitur, cum à quoquam cognoscitur atq; percipitur, quantum cognosci & percipi potest, pro capitu vel proficiētis in Deum vel perfectæ in Deo animæ rationalis.

Quod secundum alterum semel, secundum alterum sāpe sit missus: & secundum alterum vt sit homo, & secundum alterum vt sit cum homine.

Ecce distincti sunt duo modi missionis filii, & secundum alterum semel tantum missus est Dei filius, secundum alterum sāpe missus est, & mittitur quotidie. Nam secundum alterum missus est, vt sit homo, & semel tantū factum est: secundum alterū vero mittitur, vt sit cū homine, quomodo quotidie mittitur ad sanctos, & miss⁹ est etiā ante incarnationē, & ad omnes sanctos qui ante fuerūt, & etiā ad angelos. Vnde Aug. de filio, i. sapientia patris loquens. 4. lib. de Trinit. ait. Aliter mittitur sapientia vi: sit cū homine, aliter missa est vt sit homo. In animas sanctas se trāsfert, & amicos Dei & Prophetas constituit, sicut implet etiam sanctos angelos. Sed cum venit plenitudo temporis missa est

*Cap. 10. ad
medium.*

*Ibidem pau-
la. infernus.*

*Aug. ante
medium*
Cap. 20.
Sapien. 7. d.

est non ut impleret angelos, nec ut esset angelus,
nec ut esset cum hominibus vel in hominibus, ut
antea in patribus erat & in Prophetis, sed ut ip-
sum verbum fieret caro, id est, homo.

Quod secundum alterum modum dicitur missus in mun-
dum secundum alterum non. M

PRÆTEREA notandum est, quod cū his duo-
bus modis mittatur filius, secundum alterum di-
citur missus in mundum, secundum alterum vero
non. Eo enim modo missus dicitur in mundum,
quo visibilis mundo apparuit. Vnde Augu. in eo-
dem lib. ait, Cum ex tempore cuiusquam mente per-
cipitur, mitti quidem dicitur, sed nō in hūc mun-
dum, non enim sensibiliter appetit, id est, corpo-
reis sensibus praesto est. Nam & nos, secundum
quod mente aliquid æternum capimus, non in
hoc mundo sumus: & omnium iustorum spiritus
etiam in carne uiuentium, in quantum diuina sa-
piunt, non sunt in hoc mundo. Ex prædictis li-
quet, quod præter ineffabilem genitaram, duo-
bus modis mittritur filius, scilicet cum visibiliter
apparuit, vel inuisibiliter percipiatur mente.

*Cur pater dicitur non missus, cum ab aliquo
cognoscitur, ut filius.*

HIC quæritur cur pater non dicitur missus, cū
ex tempore à quoquam cognoscitur, sicut filius?
Ad quod dicim⁹, quia in eo est principii authori-
tas, quæ non habet de quo sit, à quo filius & spiri-
tus S. Pater enim est, ut ait Aug. in eodem lib. prin-
cipium totius diuinitatis, vel si melius dicitur,
deitatis: quia principium est filii, & spirit⁹ S. Nam,
ut ait August. in eodem. Si voluisse etiam Deus *Aug. li. 4.*
pater per subiectā creaturā visibiliter appareret: *de Trin. ad*
absurdissimè tamen aut à filio quem genuit, aut *finem c. 20.*
à spiritu sancto qui de illo procedit, missus diceretur. *Aug. in fine*
Cōgruēter autem ille missus dicitur, qui in carne *lib. 4. ca. 21.*
apparuit: misse autē ille, qui in ea nō apparuit.